

*An Christianis tempore pestis  
fugere, & suam ciuitatem  
relinquere salua con-  
scientia liceat.*

C A P. I I I.



ET SI autem in hanc de separatione contagiosorum materiam, multa iam dixisse videor: tamen propter causæ affinitatem, & sententiæ varietatem, annectam per uulgatam quæstionem, non modò à Theologis, sed etiam ab eruditis & Christianis medicis disputatam, videlicet, vtrum tempore pestis suam ciuitatem aliquandiu deserere ac fugere sana conscientia liceat. De qua re quia diuersæ sunt opiniones, recitabo breuiter & perspicuè vtriusque partis argumenta, & tandè subiungam quoque meam sententiæ, quæ media erit inter vtramque, & collecta ex disceptantium fundamentis.

1. Priores ergo aiunt, de nullo constare sancto-  
*Licere pe-*rum, qui mortem non metuerit, proinde mor-  
*stè fugere.* tum etiam, præsertim tam lethalem metuisse,  
& si potuissent, fugere voluisse, verisimile est. I-
2. mò naturæ lege hoc vñitatum nobis esse, non  
disci-

disciplina hominum haustū, vt mortem timeamus. Nam Apostolus ait, neminem vnquā suam ipsius carnem odisse, sed potiùs nutrire, fouere, omnibúsq; modis tueri & cōseruare. Abraham metu mortis (aiunt) suam vxorē Saram sororis nomine appellauit, & mentiri maluit, quā vitæ suæ periculum accersere. Iacob fugit in Mesopotamiam, ne incideret in manus sui fratris Esau. Idem Dauid facit, dum Saulem regem & Absalonem filiū suum fugeret. Elias audacissimus alioqui vir, & qui paulò antè sua manu Prophetas Baali occiderat, Isabelistamē reginæ ministerritus subduxit se in desertū. Moyses cū quæreretur à Rege Aegyptiorum, in Midiā profugit. Præterea non tantū mortem (inquiunt) licet vitare, sed alia quoque Dei indignantis flagella, vt famem, tyrannos, incendia, aquarum inundationes, frigora, æstus, captiuitatem, feras, deniq; omnium morborum genera, febres, dysenterias, squalores, elephantiasin, luem veneream &c. Quæ cū ita sint, multò magis pestem & mortē fugere licebit. Deinde non omnes sunt æquali vel corporis vel animi robore præditi: aiunt proinde, iniquum fuerit idem ab omnibus exigere. Robusta fides venenum innocuabit, quo lactescens fides interiret. Petrus confidens in mari ambulabat illæsus, idem paulò post hēsītans cœpit submergi. Ac Christus nō vult infirmos cōtemni. Præterea omnium medicorum doctrina constat, contagieam esse na-

*Eph. 4.**Genes. 20.**Psal. 3.**Ruth. 1.**Leuit. 26.**Ezech. 5.**4.**Hierem. 14.**Deuter. 28.**3.**Marc. 6.**4.*

*Galen. ad  
Pison. de  
Theriac.*

*Leonarth.  
Fuchf. 4. de  
med. morb.*

turam, vt de vno subiecto in aliud quod proximum & ad recipiendum aptissimū est, per debitum conueniensque interstitium transiens inficiat, contaminetq; hoc ipsum: duo enim, nempe subiecti aptitudo & propinquitas requiruntur, vt fiat impressio. Ergo cū pestem eorundem iudicio, quotidianaque experientia constet esse morbum contagiosissimum, quippe qui putridi venenosiq; aeris inspiratione contrahi solet, cōsulunt quoque illi quidem, vt quantum fieri potest, vitetur, & inter omnia consiliorum genera nullum esse præstantius fatentur, quàm sit velox fuga, diutina emāsiō, & tardus reditus. Nulla enim infecti aeris vitandi ratio est cōmodior, nulla tutior, cū aer etiam inuitis semper hauriendus sit, hauritur autem qualis est. Tantò citiùs autem eo remedio vtendum dicunt, quanto malum ipsum nocentius & præsentius est. Longiùs fugiendum, quò aer inueniatur salubrior. Denique tardiùs reuertendum, vt de purificatione polluti aeris certiùs constet. Hinc putant pestilentiaẽ tempore tria aduerbia (citò, longè, tardè) plus subsidij & securioris remedij afferre, quàm tres instructissimas apothecas. Pestis enim (Galeno autore ad Pisonē) cum aërio corpore velut draco quidam est, neque vulgaris draco, sed qui dum oculis non cernitur, latèter & ex insidiis vbique venenum in homines expirat: neque vulgare venenum, sed quod celerimè crescens, totum Reipublicaẽ corpus breui tempore

tēpore potest depascere. Nā prava aeris qualitas *Mars. Fic. de epidem.*  
 (ait Galen.) ad corruptionē prompta mutatio ef-  
 ficitur: & homines cū respirationis necessitate *cap. 6.*  
 periculum euitare nequeant, ipsum aerem, ve-  
 luti venenum quoddam ad se per os attrahunt.  
 Quamobrem idem Galenus Hippocratem mul-  
 tis modis admirabilem virum vocat & laudat,  
 quòd luem illam ex Aethiopia Græcos inuadē-  
 tem non aliter curârit, quàm immutatione ae-  
 ris. Cū enim ignem per totam urbem Athe-  
 niensem incendi iussisset, non simplicem ligno-  
 rum congeriem, sed flores fertāque suauissimi  
 odoris, item vnguenta pinguisima & bene o-  
 lentia iniecit, vt ita expiatum aerem in substi-  
 dium sibi homines inspirare possent. Postremò *5.*  
 an non videmus (aiunt) cum magna admira-  
 tione, numerosam aliquando familiam ordine  
 interire, è qua si qui consilio medicorum tem-  
 pestiuè refugerint, manere ferè semper incolu-  
 mes? Quàm pauci quoque eorum, qui ex fune-  
 stis urbibus discedant, moriantur, ipsi quotidie  
 videmus: vt etiam illud Demosthenis, Vir fu-  
 giens denuo pugnabit, hîc locum habere  
 posse existiment. Quòd si autem illicitum *6.*  
 & peccatum fuerit talia loca vitare, vel sece-  
 dendo relinquere, etiam viuere, quod est ta-  
 men summum Dei donum, quodammodo  
 peccatum erit. Vult autem Deus nos vitæ  
 nostræ, quam ipse nobis largitus est, eousque  
 curam gerere, donec ipse qui dedit, eam repetat.

Sumus enim in hoc mundo tanquam ipsius milites, & plerunque constituti in acie, vnde tum demum discedere licet, quando illi nos reuocare placuerit. Qui verò stationem suam vel negligentia, vel temeritate deseruerit, perfidiæ reus habetur. Atque hæc eorum fermè sunt argumèta, qui vt mortem, sic quoque morbum pro viribus vitare licere contendunt.

2.  
Non licere  
pestiferam  
patriam  
deserere.

E regione verò alij non minori studio diuersum affirmant. Nam cùm morbi (aiunt) præcipuè verò epidemici, Dei punitio sint propter peccata nostra, non fugiendam esse iram Patris, sed se potiùs ei sistendum, ac velut pueris, qui aliquid nequitix admiserunt, & ob id in parentù manus inciderunt, verbera patienter expectanda esse. Nam adducta ab aduersaria parte exempla, non de peste, sed de morte, ac ea quidè morte, quæ hominum persecutione intentatur (quæ duo multum inter se differunt) mentionem facere dicunt. Hominum autem manus nos effugere posse, Dei verò minimè. Et homines sæpenuerò iniustas persequendi causas habere, vt tyrannidem, regnandi cupiditatem, vindictam, auaritiam, ambitionem, inuidiam, iram, odium, contumeliam, calumniam, libidinem, incestum, alterius coniugis raptum, aut desiderium, quæ ad persequendum alios incitare homines solent: Deum autem non nisi iustè quam punire. Accedit his, quòd hominum punitio non semper ad emendandum suscipitur, sed

VVol. Mus.  
in explan.  
psal. 86. 91.

sed sæpe maleficij talionem: Magistratus enim,  
 inquit Apostolus, non frustrà portat gladium,  
 sed malis est terrori, & eiusmodi pœnæ plerunq;  
 veteris Testamenti erant: Deus verò, qui pater *Prouerb. 2.*  
 nobis est factus in Iesu Christo filio suo, non ad *Hebr. 12.*  
 retaliationem, sed ad emendationem nos punit. *Ephes. 4.*  
 Quos enim diligit, hos castigat. Fidelis etiã est,  
 nec finit nos tentari vltra vires nostras: tentat au-  
 tem, vt palàm fiat, vtrum eum diligamus, nec-  
 ne. Qui verò tentationem hanc suffert, eum D. *Augu. ser.*  
 Iacobus beatum prædicat, quoniam cùm pro- *24 detent.*  
 batus fuerit (ait) coronam vitæ accipiet, quam *Deut. 33.*  
 promisit Dominus ipsum diligentibus. Hinc D. *Iacob. 1.*  
 Petrus, Charissimi, inquit, ne miremini, dum *1 Pet. 4.*  
 per ignem exploramini, res enim hæc ad experi- *Psal. 17.*  
 mentum vestri fit. Et Dauid Deum vocat serua-  
 torem sperantium: extat enim promissio eius,  
 qua dicitur: Inuoca me in die tribulationis, & e-  
 ripiam te. Hæc verò de hominibus, qui nos per-  
 sequuntur, dici non possunt: quemadmodum  
 neque illud quod liber Sapientiæ Deum appel-  
 lat *φιλόψυχον*: quòd cùm auxilium illius à no-  
 bis imploratur, officij & animi sui erga nos non  
 possit obliuisci: quippe qui nomen paternum be-  
 neuolentiæ erga suam creaturam clarissimum  
 testimonium sumserit, & peculiariter sibi ipse  
 attribuerit, & infinitis beneficiis effusam boni-  
 tatem suam adhuc quotidie & prolixè ostendat:  
 & per Ezechielem clamet: Nolo mortem pecca-  
 toris, sed vt conuertatur & viuat. Item per Esaiã,

Ego Dominus Deus tuus, doceo te duntaxat vtilia. Item per Apostolū Paulum, se velle omnes saluos fieri. Hæc verò an de iratis & vlciscentibus nos tyrannis (aiunt) qualia exempla ab aduersariis adducuntur, similiter dici queant? Quare quis velit Deo tam benigno Patri diffidere, & quasi desperatione coactus eius castigationē ad nostram summam vtilitatem susceptam fugere?

2. Addunt præterea, præsertim qui magis obstreperi inter eos sunt, non exiguum esse signum, Deum indignè ferre istorum fugam, qui ita secedendo salutem sibi quærere conantur, quum sæpenumerò alieno & incorrupto aere vel hac ipsa lue, qua de agimus, vel alio aliquo affectu nihilominus moriantur, & fugiendo minimè efugiant.
3. Quòd ad medicorum consilia attinet, non ea esse Christianis tanti momenti, vt propterea debeant negligere firmamenta è sacris literis adducta: quippe medicos tantum corporibus, non animabus salutem quærere: cuius officij memores, suæ cuiusque animæ curam singulis relinquunt.
4. Postremò de vinculo charitatis, qua mutuò nobis obligati sumus, hæc pars multa concionatur: præsertim verò de eorum charitate, qui vna in ciuitate, aut quod magis est, in vna Ecclesia viuunt, & spirituali foedere, sacramentóque coniurati, & quasi in vnum panem corpusque cõpacti sunt. Quid enim (aiunt) hoc monstri sit, si membrum aliquod corporis nostri vitio sitatē aliquam contraxerit, aut fortè

*Charitatis  
Vinculū.*

contra-

contracturum sit, ob id ne à reliquo corpore destitueretur? & non potiùs omnibus modis ei subueniatur? Aut si igne flagret aliqua pars vrbs, idcirco non erit succurrendum, sed ob periculũ fugiendum & deserendum oppidum? Si quis in latrones inciderit, & ab illis vulneribus cõfectus semiuiuus relinquatur, nos hunc Leuitæ & Pharisæi exemplo prætergredi, & non potiùs cum Samaritano de equo, hoc est, propria nostra commoditate ad proximi damnum resarciendum descendere, & humaniter illum subleuare, ac pro viribus nostris tractare decebit? Id profectò nimis profanum, imò beluinum foret. D. Iohannes ait, Quisquis non diligit fratrem, homicida est: quomodo verò diligit, quem in summa angustia cõstitutum fugiẽdo relinquit? Nunquid Sodomæ inter reliqua peccata obiicitur, quòd proximos neglexerint? Ac vt semel dicam, quod nam (aiunt) summarium caput postremæ Dei aduersum nos accusationis & cõdẽnationis erit, nisi quod iis, qui ope nostra indiguerunt, in tempore non affuerimus, non iuuerimus, non cõtilio, re & opera auxiliati simus? Emendum enim (inquiunt) quodammodo est cælum nobis, dum in terra viuimus, si vnquam eius possessione gaudere voluerimus: emendum, inquam, non iusto pretio, sed præclara erga Deũ proximũque voluntate, sola Domini Dei liberalitate, & Christi Iesu Filij sui in teueniente vadiumo per proprium sanguinem, qui pro no-

*Eccl. 7.**Psal. 40.**Psal. 41.**Matth. 25.*

bis fideiussit, & se Patri obstrinxit. Denique qui hanc sententiam tuentur (de aliquibus loquor, non omnibus, sunt enim plerique prudentiores) adeo nos volunt omnem & morbum & mortem fortiter contemnere, ut vix medicinae usum hominibus concedant, sed soli Deo omnia committenda esse contendant: Euchitas, de quibus antea diximus, æmulantes, qui precibus omnia aduersa prosperaque, contemptis aliis mediis, arcedenda, impetrandaue iudicabant.

Rom. 9.  
1. Corint. 12.

Nos ergo, quod promisimus, arbitrium nostrum iam interponemus: quod si forte cui minus est placitum, libenter quocumque volet, appellandi potestatem facimus. Principio igitur, nolo labefactari vlla ex parte charitatem proximi, quæ haud dubie proprio sanguine nobis gratior esse debet, sicut & ipse Filius Dei, quem à Patre non solum propitiatorium, & λύτρον, sed etiam exemplar ad imitandum nobis propositum esse credimus, vitam suam pro nobis impendit. Deinde in priori parte illud desidero, ut diligentius ponderent, quid sit obligatum esse alicui cœtui, vel communi iure ciuium, vel publico officio. Nam etsi fortasse plus debeamus vxoribus, liberis, cognatis, quàm aliis: tamen id nõ potest intelligi, cum de subleuanda communi necessitate totius Reip. cui factus sis membrum & pars ad vniuerso seruiendum corpori, quæq; vnà omnes & cognationes & affinitates longè superat, quaestio est. Nam propter hanc vocationem,

quæ

quæ procul omni dubio à Deo est, tenetur quisque illud sequi, Qui non relinquit patrem & matrè propter me, non est me dignus. Itaque prior lex corrigitur à posteriore, & illi cedere cogitur: & qui antè parentibus fuit obligatus, ut illis obsequi cogatur, is postea communiori iure patrem & matrem relinquere debet, & Deum aliò vocantem sequi, nempe ut vel adhærescat vxori, vel quod maioris momenti est, toti Reip. vel cœtui Ecclesiastico. Nec tamen ita quis hoc intelligat, ut in eodem ordine non debeamus plus domesticis, quàm alienis, sed loquor de diuersis officiorum generibus & conditionibus. In posteriore opinione requiro hoc, quòd non satis distinctè causam tanti momenti diiudicent. Etsi enim Stoica quædam est durities, tanta constantia, tantum malum & præsentaneum discrimen expectare & perferre: tamen non simpliciter vel possunt, vel debent omnes eodem iure censerì. Qua enim alioqui ratione iustè excusari possint tot sancti patres, qui eiusmodi pericula aliquando fugisse leguntur, non video. Illud quidem volo, nec illos nimis pusillanimes, & quasi diffidentes, nec hos immoderatè rigidos aut temerarios esse. sed medium utrisque eligendum, quo tutissimò ire solemus, & in quo omnis consistit virtus, ut rectè vulgus dicere solet. Quibus diligenter consideratis, hoc dico: si quando pestem, vel quodcunque aliud genus epidemicæ afflictionis nulla hominum crassa negligentia ac i-

gnauia, vel naturali aliquo vitio (quod hic ac-  
 curatè obseruandum est) sed potiùs manifesta  
 ac merè diuina indignatione ortum esse, certis  
 signis colligi posset, vt aliquando Prophetarum  
 vocibus, & aliis Ecclesiasticis indubitatis histo-  
 riis de maiorum tempore constat, tum minimè  
 esse fugiendam virgam Patris nostri Dei censeo.  
 Nam quis tam profanus sit, qui credat *υπο-  
 μαχίαν* esse illius castigationem, quæ temerè  
 obuios quosque feriat? Quin potiùs illud certò  
 sibi persuadent fideles, etli eiusmodi pestilentia  
 grassanti adessent Noe, Dauid & Iobus: tamen  
 propter iustitiam suam seruaturos esse animas  
 suas. De talibus enim verum est, quod dici solet,  
 præsigniri à Deo, quibus & quaratione sit par-  
 cendum. Sin verò, vt hoc tempore potissimùm  
 fit, & vt Lutherus de peste V Vittebergenfi, anni  
 1527 ait, nostramet ipsorum imprudentia & te-  
 meritate, ne dicam maleuolentia & bonorum  
 consiliorum contemptu oriantur huiusmodi cõ-  
 munita incommoda, & ciuitatem aliquam pecu-  
 liariter & paulatim affigant, eosque potissimùm  
 qui proximi sunt, velut pix tangentes, contami-  
 nent, huiusmodi (inquam) loca, quin piis & in-  
 telligentibus fugere vitareque liceat, præsertim  
 decreto Magistratus interposito, quod antea di-  
 ctum est, nihil dubito. Cur enim si vicinus do-  
 mum suam sponte succendere velit, ego non fu-  
 giam illius flammam? Quod si etiam magistra-  
 tus autoritate sic constituatur, vt cui animus nõ  
 fit

*Ezech. 6. 14.*

*Eccles. 13.*

fit manendi, secedat, iam antè ita rebus ordinatis, vt nulli quippiam desit, quod in hisce difficultatibus magnoperè requiratur, iam consciètia omnino libera esse potest: sin verò præcipiat, repugnare sana cōscientia non licet. Idem enim hïc sæpe consultum est, quod in grauibus incēdiis, ad quæ extinguenda, quia non omnes idonei sunt, certi quidam in aliquibus ciuitatibus constituuntur, qui soli hoc onus subeant, ceteris accurrere non licet: vel quod in vrbiū obsidionibus fit, vt senes, mulieres, pueri, imbelles, qui oneri tantummodò, non ad miniculo esse possunt Reip. tantisper remoueantur in portum cōmodiorem, donec ciuitas ab hoste liberetur.

Atque hac quidem ratione ego Christianus & medicus, philosophiæ Theologiæq; innitens fundamentis, absque affectu & partium studio, (vt & in reliquis) quod omni veritati semper obfuit plurimùm: præterea examinatis accuratè amborum argumentis, conciliari posse disceptantes, nisi ex litigatoribus vitiligatores euadere velint, animo bene deliberato iudicârim. Quod si tamen aliquis (vt hoc iterū repetam) de grauamine forsan cōqueri volet, Apostolos permitto, prouocet ad quem libebit, superiorem iudicem: vel ad priores magnos sanè & pietate, eruditione, prudentiâque celebres viros reueruersus, ius suum renouet atque redintegret. Ego hinc expeditus redeo ad negotium propriū.